



9



Ob. 478.

ORATIO,

2VA

STUDIUM PEREGRINATIONUM
FUTURO POLITICO UTILE ET NE-
cessarium esse demonstratur:

MEMORITER .

IN

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ

MARPURGENSIS Collegio Philosophico,

III. Calend. Iulii,

AD FREQUENTISSIMUM PATRUM, CI-
VIUMQ. ACADEMICORUM CONVENTUM,

HABITA à

CONRADO à BÖR-

STELL, NOBILIAN-

HALTINO.



MARPURGI CATTORUM,

Typis Nicolai Hampelii, Academia Typographi.

M D C XXIIIX.






VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
STRENUISSIMO,

DN. HEINRICO
à BÖRSTELL,
ILLUSTRISSIMI, CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI
CHRISTIANI, Principis Anhaltini, &c. Do-
mini mei clementissimi, Consiliario intimo,
Judicii Provincialis *Berenburgici* Præsidi, ibi-
demq; Capitaneo dignissimo, Hæreditario
in *Güsten & Plöbstaw* &c. Parenti suo
æternùm honorando.

*Hoc Exercitium Academicum in studiorum
& observantia filialis testimonium
inscribit & offert*

Conradus à Børstell, A.





CIVIBUS ACADEMICIS SALUTEM.

Peregrinationis quod naturâ homines sint avidi, (cum ipsi hu-
mani generis ortu eumque subsecuto lapsu haud dubie coepit
primordia. Eiectus enim homo è Paradiso tanquam à proprio
& nativo solo, in omnem terram, ut operaretur, & sudore
pœnitentiam ageret, abire iussus est. Vnde tota hac nostra vi-
ta, actiones & instituta Peregrinatio facta sunt, ut sciamus
non habere nos hîc civitatem permanentem, sed futuram in-
quirere. Quod cum cognoscerent S. Patres duo sedulo observarunt, primum, quod pa-
storiam rem & agriculturam, ad victum sc. & vestitum necessaria media, excole-
rent, alterum, quod se peregrinos reputantes in tentoriis habitarent. Cum vero pere-
grinorum sit nullibi sedem pedemve figere sed perpetuum demigrationis & periculo-
rum currere stadium ad excolendam locorum relictorum memoriam Tabernaculo-
rum Deus instituit festum. His peregrinandi initiis in naturâ & lege relictis nobiles
& magnæ animæ domi residere & suæ affixæ glebæ, nunquam esse voluere, sed quo
diviniores audire cupivere, eò magis ipsam naturam, celum, astra, & primorum
parentum majorumq; exempla imitari ac jucundo gaudere motu satagere. Hinc est,
quod in veteri historiâ multos diversas lustrasse provincias, plures maria trajecisse,
plurimos ipsos adisse populas compertum habeamus. Sic Plato AEgyptum ad Archy-
tam Tarentinum, eamq; Italia oram, quæ magna quondam Græcia dicebatur labo-
riosissimè peragravit: ut, qui Athenis excelleret, cuiusq; doctrinam cuncta Academia
Gymnasia personabant peregrinus ac discipulus fieret. Sic Pythagoras, sic Lycurgus
variis nature præditi dotibus AEgyptum, Græciam, Spartamq; literas, iura, legesq;
cognoscendum ancipiti sæpè fortunâ contenderunt. Nec quæquam Alexandri Magni
Macedonum, Cambysis Persarum, Ptolomæi & Sesostris AEgypti, ac Mithridatis
Põnti Regum claras & ab Historicis sæpiùs laudatas, (quibus plura oculis lustrasse,
quam alios Reges animo & cogitatione unquam attingere valuisse perhibentur) fu-
gere autumamus peregrinationes. Quid de Romanis hac in re habendum Casaribus,



Julii Caesaris cum innumeris Gentibus suscepta bella: ab Octaviano variis in provin-
ciis, quas omnes (sola Africa & Sardinia excepta adierat) cōditæ urbes: & à Trajano,
quas nullus antea Imperatorum viderat, inquisitæ civitates, abundè edocent. Quam
augustam itidem omnibus peregrinandi cupiditate detentis quondam accenderit
facem gloriosissimus Romano-Germanorum Imp. Carolus V. ejus in Belgum de-
cies, in Germaniam novies, Italiam septies, Hispaniam sexies, Angliam, atq; etiam
Africam semel atq; iterum institutum iter, marisq; mediterranei & Oceani ancipites
dubiq; ingressus coarguunt. Ita peregrinatio instrumentum semper fuit usus rerum
& prudentiæ ordinatū. Vagari, lustrare, & discurrere omnes possunt, pauci indagare,
discere, hoc est, verè peregrinari norunt. De qua tam nobili & præclarâ re (cujus Me-
thodum apodemiam Illustris & Generosus Dn. Henricus Ranzovius omnibus præ-
buit) cum & gentis & mentis nobilissimæ donis decoratus Dn. CONRADVS A
B Ò RSTELL NOBILIS ANHALTIVS insigniter doctam & lauda-
bili in Academiis recepto more conceptam elucubrat atq; promò memoria fisis condè
pronunciare instituerit orationem, quâ futuro Politico peregrinationes uti-
les & necessarias fore, à meridie horâ primâ dato ad hoc solito Campanæ Colle-
gii Philosophici signo probatum reddet, est quod Patres civésq; Academicos benevolos
nobis Auditores officiosè, humaniter & amicè exoremus, invitemus. Dab. Mar-
purgi, IV. Calend. Julii, Anno Salutis M DC XXIIX.

Theodorus Höpingk, D. Rhet. &
 Histor. Profess.

ORA-



ORATIO,
QUA
STUDIUM PEREGRINATIONUM
FUTURO POLITICO UTILE ET
necessarium esse demonstratur.

INTER quam plurima, quæ in amplissimo hoc mundi theatro admirari & soleo & debeo, cum primis acri iudicio atque animadversione dignum arbitror, quod provida rerum omnium mater Natura tum virtutum tum vitiorum viva quasi vestigia quædam in variis huius universi creaturis, tanquam in speculo quodam homini proponere voluerit, ut vel inde quid faciendum, quid fugiendum, quid amandum, quidque odio habendum, colligere atque intelligere possit.

Quis enim insigne illud fortitudinis in Leone, calliditatis in vulpe, prudentiæ in serpente, fidelitatis in cane, turpissime verò ignaviæ in asino, timiditatis in lepore, exemplum vel non miretur, vel frustra constitutum esse existimet? Nihil de testudinibus abjectissimo isto animalculi genere nunc dicam, in quibus vivis Natura depinxit coloribus non tantum illos, quos nescio quâ natale solum dulcedine pertrahit, ut testudinum instar testis: ita suis perpetuò inhærescant latibulis, sed & *hos,* ut eos, qui sublimiori ducti spiritu, terras populosque perlustrant & cognoscunt exteros, stulto supercilio avertentur, ac tantum non derideant, quin eo quoque delabantur incauti, ut vel nunquam satis laudatum peregrinandi studium ceu nocivum penitus detestentur. Quod enim in Germania nostra tot hodiè & tam mirabiles luxus vestiarii variationes, quod tanti sumtuosissimorum conviviorum apparatus, quibus non domus, non pagi, non urbes solum, sed & totæ provinciæ, regiones, re-

gna atque Imperia viribus exuuntur, quod tot nefandæ libidinis exercendæ modi, tot tamq; horribiles morbi, tot & tam improbi reperiantur mores, scilicet hoc omne peregrinationibus adscribimus Germani, quasi soli omnium vitiorum expertes, omnibus aliis nationibus, tanquam exemplar aliquod virtutum ob oculos positi, inculpati vixissemus semper, nec ulla, nisi quæ foris ad nos allata, intra patriæ nostræ parietes vitia deprehendi liceret.

Quæ res & opinio quanquam usq; adeo percrebuerit atq; invaluerit, ut qui eam non amplectatur, non errare saltem, sed in ipsam quoq; patriam Germaniam injurius esse vulgò judicetur, me tamen eo dimovere nequaquam potuit, ut quæ alii vel incautè vel confidenter nimis de peregrinationibus queruntur, iisdem ego adscribenda existimem. ut credam potius, peregrinationes, quæ certo fine, certo consilio, cautèq; suscipiuntur, non modo frugiferas, sed vel maximè necessarias esse omnibus, qui ad veram politices prudentiam adspirare contendunt.

Quam in rem, peregrinationum videlicet utilitatem necessitatemq;, dum pauca apud vos, æquissimos meos judices, pro ingenii tenuitate edissero, benignas attentasq; aures à vobis reverenter atq; officiosè expeto.

Quam utiles quàmq; necessariæ futuro politico sint peregrinationes demonstrare, res est non minus ardua quam difficilis, hæc præsertim levissima mundi tempestate, quâ tot variorum politicorum genera, ut qui singulatim ea vellet perstringere, hunc non dicendi materia, sed vel tempus, vel vox ipsa esset defectura. Deum enim immortallem, quot quàmque absurdissimæ nominis hujus splendidissimi abusiones! quarum è numero tantum non innumero radiis vix etiam obscurissimis boni politici affectionem atq; indolem collustrans elucet facula! Hunc enim politici audies obtinere nomen, quod in commensationibus unum alterumve immò & tertium vas vini capacissimū unico haustu, & ad fundum usq; evacuare valeat, præsertim si absq; vomitu injurgitatio feliciter cedat: Mox alium, quod in conviviis & conversationibus splendas montium, etiam aureorum, sciat facere pollicitationes, qui, dum promissorum fides à se reposcitur, mirificos verborum fumos veritati novit offundere atq; sic simplici amico illudere;

7
dere: Nunc illum, quod ex omnium, quibus cum versatur, genio sciat vivere, ut modo assentibus assentiatur, modo cum negantibus eadem perneget, cujusmodi politicum Tyberius Cæsar apud Suetonium temporum hominem, Plautus omnium horarum amicum, Tacitus callidum temporum appellat, qui se cujuscunque fortunæ faciei novit accommodare, qui, ut tempori inserviat, Polypi ingenium induit, ut decipiat vultum sapissimè mutat, quolibet vertumno Proteoq; mutabilior, quique

*Huic uni studio soleat se dedere & arti,
Verba dare ut cautè possit, pugnare dolosè,
Blanditiis certare, bonum simulare virum se,
Nocendi insidias struere:*

Denique alium & his non multo feliciorum deprehendes politicum, qui cum ad multos annos patriæ affixus glebæ, non solum omnium bonarum artium exercitiorumq; liberiorum, sed virtutum quoque omnium strenuus contemtor, bonam vitæ partem in otio luxuque nec honesto nec licito consumsit, immaturo planè consilio, sine ulla rerum necessariorum scientia, sine fine, sine discretione atq; judicio, ad Gallos Italosve aut Hispanos excurrit, quos populos, quas regiones si viderit, si pervolaverit, nescio quæ egregia se consequutum stultâ sibi persuasione imaginatur, quamvis ab hujusmodi populis in patriam redux, omnis scientiæ virtutisq; prorsus indigus atque inops, nil nisi scapulas contrahendo sciat attollere, obvium nescio quo modo salutare, calamitatâ comâ incedere, ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollicie corporis cum fœminis decertare, ad numeros gradus componere, salire, garrere, & quæ præterea peregrinatorum hujusmodi vanitates, quas Epigrammate non minus scito quam falso Thomas Morus apud Lansium percensuit; quibus tamen usque adeo sibi placent, ut egregium illud splendidumq; politici nomen, stultè magis an arroganter, haud scio, sibi usurpare non vereantur. Verum miseros istos, nimiumq; à veræ politicæ via aberrantes politicos, quorum adeo angustiis constricta est spatii scientia, si qua talis est, ut nec adolescentiam alat, nec senectutem obletetur, nec secundas res ornet, nec in adversis perfrugium ac solatium præbeat, nec quiddam deniq; foris juvet. His & aliis

aliis ejusdem farinae politicis multo fuisset consultius, eos, quibus ab exteris egregiè multantur, nummos, vel domui collapsæ restaurandæ, vel fidei datæ liberandæ impendisse. Faceant itaq; hinc dicti politica-
strores, politicorumq; simii, quæ minimè nostra ferit contemplatio.

Vos verò quibus ———

De meliore luto finxit præcordia Titan,

Vos inquam, huc adeste, qui singulari Naturæ bonitate, hoc est, memoriae judiciiq; dexteritate præ cæteris instructi, non tantum præceptorum politicorum varietatem memoriae probè inculcare, sed inculcatam etiam cum judicio promptè expeditèq; usurpare potestis; Vos inquam, qui hanc ipsam naturæ animiq; vestri excellentiam variâ philosophiæ practicæ, historiarum atque Jurisprudentiæ cognitione imbuitis, instruxistis, ornavistis, quam denique qui Usus, Exercitationis & Experimentiæ limâ firmare, polire, atq; perficere contenditis.

Nec enim quæ virum efficere valeat verè politicum atque prudentem sola erit Natura, nec sola doctrina, nec solus tandem erit Usus aut Exercitatio: Sed ad Naturam & ingenii felicitatem, cui tanquam basi & fundamento omnis scientiæ artiq; innitur perfectio, si scientiarum quas dixi cognitio accesserit, cognitionem verò Usus atq; Exercitatio firmaverit tum illud, nescio quid præclarum atque singulare ominor exiturum.

Natura verò, animiq; solers quædam industria quantum in omnibus, quas humanitatis lex nos edocuit, adeoq; etiam politicis valeat scientiis, tantum abest ut prolixiore oratione persequar, ut neminem non propria id experientia edoctum, ultro confirmaturum arbitrer. Et videmus sanè atq; experimur quotidie, quam hæreant in arduis, in dubiis offendant, in perspicuis verò etiam cæcutiant illi, qui invitâ, quod dicitur Minervâ res agrediuntur graviores.

Miror autem, quoties recordor, & admiror atq; suspicio insigne illud Theodosii M. effatum, qui interrogatus quid principi, ut bonus esset, faciendum censeret: Principem, inquit, virtute conspicuum cum iter facit, comitari debent sapientes, colloquentes, cum cibum capit mensæ astare debent sapientes, disputantes, secretum dum ordinat consilium adierunt sapientes consultantes; In summa quicquid fuerit tem-

sint

rit tem-

rit temporis vacui id cum sapientibus consultando transigatur. Quam fermè in sententiam non minus scitè quam verè dixit, qui dixit, tum demum beatas fore Resp. si aut reges philosopharentur, aut philosophi regnarent. Unde, cui quæso obscurum esse poterit, quam non modo necessaria, sed etiam honorifica sit veræ philosophiæ cognitio, quippe, cuius possessoribus Rerump. curam atq; administrationem solum concedi, quosq; solos Imperatorum, Regum principumq; lateribus associari conveniat.

Sed quinam isti sapientes, qui isti erunt philosophi? hi sanè, qui iustitiam colere, boni & æqui notitiam profiteri, æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere, bonos non solum metu pœnarum, sed præmiorum quoq; exhortatione sciunt efficere; veram non simulatam affectantes philosophiam? Hos Certe non sola natura, non doctrina effecisset unquam, nisi etiam multo magis insigniter iuvisset & confirmasset prudens rerum usus & exercitatio, quæ, si Plinio credimus, sola efficax rerum magistra, magistrorumq; omnium præcepta superat, cunctisq; aut artificibus aut artibus maximum decus usu tribuit. Nam, quemadmodum is medici nomen non statim merebitur qui multos medicorum libros perlegerit, sed is demum medicam optimè profiteri atque exercere potest artem qui universalis facultatis suæ singulis prudenter adaptare longâ experienciâ didicerit: Ita nec ex sola politicorum præceptorum lectione unquam quis fiet politicus, nec generaliora politices præcepta singularibus Reip. casibus commode applicare, nisi usu atque experienciâ edoctus poterit. Quod ipsum quam probè intellexerit philosophorum coryphæus Aristoteles, satis arguit acere ejusdem iudicium, quo omnibus, qui in rebus civilibus intelligentes haberi volunt experienciâ opus esse perspexit: Sola namque experientia dux est intellectus, magistra vitæ, prudentiæ anima, sine qua nec in bello nec in pace quicquam ritè administrari, non corpus Imperii pernosci, non morbi, quibus obnoxium, explorari, non convenientia adhiberi remedia, non tempus, non modus in iis adhibendis servari possunt. Hujus ergo laudem quis arrogare sibi jure poterit? An qui domi suæ per totam vitam blattæ instar lucifugæ delitescens, de dialecticis quibusdam spinis & captionibus disseruerit, aut syllogismorum formas ac cornua informaverit, aut in pulvere Archimedæo cir-

B

culos

culos descripserit, aut pulicum, (ut est apud Poetam) passus dimensus fuerit, aut cum Epicuro ex atomis mundum struxerit, aut in Euripi fluctus omnem curam & cogitationes conjecerit, aut cum Diogene è dolo regias opes contemserit? An ille potius qui jactis scientiarum practicarum fundamentis admiranda variarum nationum scrutatus fuerit, qui diversas multorum populorum linguas, mores, & ingenia cognoverit, qui varia Rerumpubl. instituta & consuetudines perspexerit, qui causas incrementorum & decrementorum Rerump. observaverit, qui, quæ in quavis civitate laudabilia & utilia, inquisiverit, quæ in magistratuū ordinatione, quæ in judiciorum constitutione, quæ in consiliorum directione, quæ in foro, in campo, in curiis, in aulis, in scholis templisq; atq; adeo in omnibus Reip. muneribus, tam belli quam pacis tempore, vel emendabilia vel imitabilia & conducibilia notaverit, inq; succum & sanguinem ita convertere didicerit, ut eadem singularibus Reip. casibus pro necessitatis utilitatisve ratione cautè feliciterq; applicare possit? Quæ omnia qui peregrinando fuerit assequutus, eum ego non tantum civilis prudentiæ verum genuinumq; possessorem, atque sic splendido isto politici nomine dignum judico, sed felicem quoq; Remp. eam prædico, quæ ejusmodi moderatorem, non sine fati quadam clementia & benignitate fuerit consecuta! Hujusmodi politicis nihil melius, nihil utilius, nihil præstabilius Reip. divino dari potest munere. Hi soli principibus suis, quod inter mortales est divinissimum, rectè possunt consulere! Hi isti sunt amici, qui, Micipsæ Regis Africani judicio, soli præsidia sunt regni!

— Hi isti sapientes quorum unum pro nave aulicis mancipiis onusta, quibus omnia honesta atq; inhonesta principum collaudare mos est, remitti sibi sapientissimus Regum Hispaniæ Alphonsus desiderabat! Hi isti philosophi, quos solos Reip. clavo apponendos Platonis censuit oraculum! penes quos illa philosophia, quam Tullius eloquentiæ pater vitæ ducem exclamavit, quæ artem Imperatoriam, artium omnium maximam comprehendit! Quæ quo dignior, quo præstantior, quo pretiosior, quo utilior magisq; necessaria Reip. existit; Eo majori laude & commendatione dignæ, eo majori studio & contentione appetendæ erunt peregrinationes, per quas hæ scientiæ, hæ artes, hæc prudentia, hæc experientia, hæc deniq; commoda universa & singula
tanquam

tanquam per utilissimum ab ipsa Natura nobis oblatum Instrumentum acquiruntur.

Quod ne cui mirum accidat primum suas quilibet naturæ animiq; vires excutiat, & neminem opinor fore, qui non naturâ sibi insitam quandam ingenii judicijq; imbecillitatem atq; hebetudinem, & agnoscat & fateatur, adeo, ut vel ipsæ tot Academiæ celeberrimarum frequentationes luculentissimum rei hujusce testimonium cuilibet exhibeant, quas non alio fine, non alio consilio, aliâque intentione adimus atq; incolimus, quam ut virorum in omni facultatum scientiarumque genere clarissimorum informatione animos nostros vario doctrinarum genere imbui, affectus corrigi, mores poliri, atque ad optatam scientiarum virtutumque perfectitudinem reduci cupiamus. Id quod cum in illis, quas privatæ vel utilitatis, vel jucunditatis causâ sectamur, facultatibus & scientiis, non minus felici quam laudabili successu contingere videamus, quis tam mentis aut rationis erit expers, tamque omnis judicii inops, qui non eas quoq; facultates, eas scientias, eaque animi ornamenta, quibus politicû communis Reip. causâ ante omnia instructum esse oportet, ex hominum prudentiâ, linguis moribusque excellentium conversatione acquiri posse crediderit? Præsertim cum nulla res magis animos induat honestos, & in pravum declinantes revocet ad rectum, quàm bonorum, quàm virtute prudentiâq; præstantium conversatio. Cujusmodi virorum proventu ~~in~~ omnibus aliis nationibus sola alicui Germania videatur superior, soliq; in rebus politicis Germani sapere velimus, tantum abest, ut ad externos itinera perfectionesq; prohibeamus ut necessarias eas omnino esse statuamus.

Quod si enim innumera peregrinationum commoda considero attentius, quis inter hæc linguarum studio primas non tribueret partes? quis inquam nisi Galliam, nisi Italiam nisi Hispaniam atq; alia cultissima regna aliquandiu incoluerit, vel promptè vel comtè satis Gallicè, Italicè, Hispanicè dicere aut scribere poterit? Quis Galliæ opes & redditus? Quis Italiæ divitias & potentiam? Quis Hispaniæ amplitudinem? Quis deniq; quæ horum regnorum formæ, administrationes, leges, statuta, vires, viriumq; inter se proportionem, quæ item consiliorum tributorumvè apud singulos rationes artésq; noverit rectius, quàm qui oculis non tantum ea omnia hauserit, sed incolarum quoq; familiaritate

liaritate accuratius eadem edoctus fuerit? Quis Galli in consiliis fervorem, Itali indolem, Hispani ferocitatem crudelitatemque sciverit effugere & eludere cautius, quam qui Gallos, qui Italos, qui Hispanos in conversationibus in sermonibus & colloquiis mutuis acres sapientius habuerit æmulos.

Quæ omnia qui necessariam maximèque laudabilem prudentiæ civilis partem esse ignoraverit is quæso animo perpendat & confideret, quot & quanta Reip. nostræ cum dictis populis negotia intercedant: quot hic, velut in periculossissima navigatione, maria impetuosa, quàm varii & adversi venti, quanti scopuli, quàm periculosa sertes, quot crudeles pyratae, navem Reip. infestantes, animi videlicet innumeris affectibus sævientes, omnemque vim legis interdum excutientes, deprehendantur, non dubito quin tandem sit animadversurus, quantà hic prudentiâ, quantà cautione, quàm accuratâ denique harum rerum omnium cognitione & experientia opus habeat, quò non tantum ipsum Reip. caput, cui tanquam animæ omnia corporis politici sociata scimus & experimur esse mēbra, accuratè cognoscere, & ad diversi generis expedienda negotia rectè ritèque accommodare & aptare queat.

Ex pluribus vel unicum saltem vobis propono, & quidem post summum Reip. caput proximum huic politicum, quem consilarii nomine indigitare solemus, spectare vos jubeo, cujus officio & dignitate, quis eâ, quâ deceat, gravitate, prudentiâ, comitate, promptitudine & felicitate valeat fungi, nisi acquisita scientiarum practicarum cognitione, varias quoque variorum populorum linguas, mores, indolem, ritus, leges, potentiam, præsidia, aliàsque defendendarum muniendarumque provinciarum rationes artes, modosque cognoverit & observaverit? Quarum rerum scientiam & experientiam si peregrinando assecutus fuerit, & extera regna inter sese & singula cum patria sua contulerit, melius feliciusque bona & mala patriæ suæ cognoscet, facilius mores corruptos abrogandi, melioresque introducendi, viam modumque inveniet, sciet hospitari & excipere exteros, cumque iis conversari, hominum animos & affectus cautius accuratiusque perspiciet, pro negotiorum ratione his, quæ conditio temporis exegent, se accommodabit prudentius; adhæc locorum & temporum occasiones, opportunitates & difficultates exploratas habebit, adeò ut nunquam fallarum rerum
relatione

13

relatione decipi, aut aliorum ¹³ iudiciis circumveniri queat. Etenim sicut miles multarum provinciarum bellis exercitus, tyrone, qui uno saltem cum hoste cōgressus est, victor rediit, novellam minus fugit classem: Ita variis hominum affuetus ingeniis facilius multis præerit, cūmque multis conversari poterit prudentius, quam cui præter populares notus est nemo.

Possent in scenam quoq; producere alios quam plurimos, quorum prudentia & consiliis, non tantum pacis, sed belli quoq; tempore, Reip. tum majestas, tum salus atq; incolumitas conservatur & defenditur: quorum tamen muneribus & officiis gravissimis maximēq; arduis subeundis, feliciterq; expediendis quis parem illum judicaverit, qui nullas provincias, nullas regiones, nullaq; regna externa lustraverit, qui nullas linguas exoticas didicerit, nullo svē populorum diversorum mores & ingenia notaverit? Si verum quod gravissimus Historicorum Livius animadvertit ut singulorum hominum, ita civitatum, addo ego & provinciarum, diversos esse mores, gentesq; alias iracundas, alias audaces, quasdam timidas, in vinum & venerem proniores esse alias; Profecto harum rerum omnium qui fuerint ignari, non aliter quam canes ad Hyenæ pellem latratum amittentes, non aliter quam Phinæi milites ad Medusæ caput in saxa conversi, in regimine tacebant, stabunt, hærebunt.

Ac ne quis hoc à me ita dici fortè existimet, aut imbecillioris forsitan iudicii me arguat, qui illius, qua politicum excellere atq; præpollere volui, prudentiæ civilis acquirendæ quasi instrumentum quoddam peregrinationes constituam. Illum ego non ad Pythagoram, qui Athenas florentissimam illam Musarum sedem, sapientiæ causâ felicissimo successu petiit; Non ad Platonem, qui totam fermè Ægyptum peragrando incomparabilem Philosophiæ laudem sibi acquisivit; Non ad Ulyssesem, qui diversa multorum populorum instituta, mores, ritus & urbes excultissimas perlustrando, immortalem sibi gloriam paravit; Non ad Julium Cæsarem, verum illum Martis & Musarum pullum, atque alia antiquorum fermè abolita simulacra: Sed ad ipsum Imperii Romano-Germanici gloriosissimum quondam caput Imperatorem Fridericum cognomento Barbarossam remitto, qui cum has ingenii dotes, hanc artem, hanc scientiam, qua totus mundus illuminetur, & ad obediendum

diendum Deo, magistratibusq; ejus ministris, vita subditorum informetur, non sine peregrinationibus acquiri posse Imperatoriâ prudentiâ perspiceret; Eorum, qui studiorum civilisq; prudentiâ causâ peregrinâtur, profectioes & itinera singulari securitate communivit. Quo ipso quid aliud significare prudētissimus Imperator voluit, quam quod peregrinationes, ut utilissimum, ut maximè necessarium, acquirendæ prudentiâ civilis instrumentum, omnibus veræ Philosophiâ cultoribus & sectatoribus. augustissima hâc suâ constitutione commendaret? O raram prudentiam! O rarum erga literatos peregrinatores favorem & clementiam! quâ utinam nunquam fruerentur, qui alio, quam ipse voluit Imperator, sine peregrinantur, nec laudatissimum prudentiâ civilis acquirendæ curant studium, sed inanem saltem civilitatis umbram immensis sumtibus comparant, qui non animum prudentium conversatione excolunt, sed corpus fœdæ libidinis usu exercent, non mores Politiorum consortio corrigunt, sed levissimorum hominum consuetudine corrumpunt, non linguas scientiâsq; utilissimas addiscunt, sed ludicris artibus irreparabilem juventutis florem absument! Non sic olim Solon, non sic Lycurgus, non sic Græci, non sic quoque peregrinati fuere Romani, qui omnes hac solâ ratione & via Respublicas salutaribus institutis legibusq; informarunt, rexerunt.

De Germania verò nostra quid dicam? quæ me herculè in ea majestas, quis ordo, quæ dignitas, quæ tandem in tam turbulento rerum statu incolumitas, quam non multarum linguarum, rerum, populorumq; peritiâ clarissimi viri vel pepererunt vel ab interitu vindicarunt.

Quod si cui dubium fortè videatur, is quæso paulo altius respiciat spatium præteriti temporis, Germaniâmq; nostram inde usq; ab infantia annis repetat, nihil ibi dignitatis, nihil honoris nihil divitiarum, nihil urbanitatis, nihil humanitatis reperiet; non imperantium & parentium ordinem, sed vagam inordinatâmq; multorum confusio- nem, non artium aut scientiarum cultum, sed earundem si non igno- rationem, certè neglectum; non terram artificiosis structuris conspi- cuam, sed variis non homini competentibus speluncis horrificam; non amicas & liberales cohabitantium cōversationes, sed rudes & agrestes balantiū aversationes animadvertet; adeò ut homines quis esse negas- set, nisi eū externa species formâve redarguisset. Unde ergo hæc nostri
Impe-

Imperii facies & ordo? Unde artiū ille scientiarūq; in Germania splendor? Unde tot edificiōrum urbium arciumq; artificiosę structurę? Unde morum deniq; studium & cura? si non illorum hoc felicitati, curę & iudicio adscripserimus, qui primi cultiores regiones populōsq; perlustravēre, primiq; ab iis leges morēsque; civiliōres didicēre. Quos utiq; si quid ad Remp. boni contulisse fatebimur, sicut fateri vel ipsa cogitur invidia, quis est qui peregrinationes non summopere laudandas aut ullo modo dissuadendas, taceam qui prohibendas illas esse censeat?

Verū enim verò quos hac fortē oratione mea offendero, quibusq; hoc meum de peregrinationibus iudicium, vel puerile vel immatūrum nimis videbitur, haud dubiē non erunt pauci, peregrinationibus, quas tantoperē commendavi hactenus, vel connata, vel saltem nimis pertinaciter cohærentia, cūm pericula, tūm vitia maximē noxia objecturi, multos, agentes, latronib. plures morbis à reditu excludi, plurimos, ne dicam omnes, loco precii, factarūq; impensarū ratione nil nisi vitia domum revehere. *Scimus* illa, quę prę cæteris nominavim⁹ *imo* regna, Galliam, Italiam, Hispaniam, non nisi nequitiarum scholas, libidinum palestras, omniumque malarum artium officinas existere, è quibus quicquid luxus, quicquid libidinis, quicquid superbię, quicquid intēperantię, quicquid levitatis & inconstantię in Germania nostra grafatur, tanquam ex unicā malorum omnium scaturigine *huc* derivatum *sif* atq; devolutum esse. Dura sanē vox, duriorq; inculatio! Sed vereor ne taliū tantorūq; facilius à nobis accusentur quā vincantur dicti populi, qui si pari nobiscum modo procedere, omniāq; quę vel nativa nobis sunt vitia æquali lance ponderare vellent, nullus sane dubito, quin vitiorum & numero & enormitate illos, si non victuri, saltem simus æquaturi. Non equidem Gallorum, non Italarum, multominus Hispanorum suscipio patrociniū: Scortationes, lenocinia, adulteria, Sodomiam, regicidia, seditiones, perfidiam, scurrilitatem, superbiam, dominari inter illos scio, nec inficias eo: Ideōne autem speciosissima Italia, populosissima Gallia, amplissima Hispania, tanquam malorum lerna fugienda? Minimē gentium? Nam si Gallus aliquis vel Italus aut Hispanus Germaniæ nostrę perlustrationem dissuadere vellet, quod in eadem ebriosi multi, multi gulosi, literis moribusq; rudes plurimi, inurbani, insulsi, sacramentarii, seditiosi. Profecto aut ridere-

mus

mus hominem, aut saltem horum consortium fugiendum suaderemus. Nec certè video quo jure hosce populos tam acerbè accusare, vitiorumq; omnium culpam causamq; in eosdem transferre queamus. An Galli culpa est, quod peregrinator Germanus omnia quæ in Gallia viderit aut audiverit levia, levissimè imitetur? An Itali culpa fit, quod peregrinator Germanus tam studiosè lupanaria sectetur & frequentet? An Hispani culpâ accidit, quod peregrinator Germanus nimium superbientem Hispanum stultissimo nisu sequatur? Videte quæso mei Germani, ne in vosmetipsos, aut potiùs declivem vestram naturam, culpa hæc quam gravissima redundet; videte ne in aliorum vitiis notandis Argo oculatiores, in propriis agnoscendis talpis cæciores jure arguamini. Cogitate mecum & perpendite, quam gravibus, quam enormibus, quam turpibus Germanum nomen adversantibus suavissima nostra patria, hæctenus corrupta sit vitiis! Ad Reip. nostræ statum oculos animosq; vestros convertite, proh quàm ille languet, quàm deficit, atq; in omnibus ferè membris labascit! Videtur enim tota exitiali & fontico veluti morbo afflicta, non decumbere solum sed & pleno quasi gradu, & remis velisq; quod dicitur, ad interitum properare. Privatas verò domus quoque si perquirere vellemus, Deum immortalem, quantam ibi vitiorum domesticorum sentinam deprehenderemus! hic ebriosos, hic impios, hic libidine penè fractos, scortatores, lenones, adulteros, seditiosos, perfidos & perjuros non minus atq; in aliis regnis aut Rebusp. reperiremus: Ideone verò tota statim Germanorum natio talis habenda? Ideone Germania tanquam vitiosorum colluvies fugienda? Quæ si dura vobis videatur accusatio, si durum atq; iniquum hoc de Germanis videatur judicium, qua quæso ratione ipsimet iniquioris rigidiorisque censuræ notam effugiemus, qui ob scelestorum quorundam in Gallia, Italia, Hispania manipulum omnes statim Gallos, Italos, Hispanos tales pronunciare, qui ob proprium fortè huic vel illi Gallo, Italo aut Hispano vitium, totam statim Galliam, Italiam, aut Hispaniam incusare non erubescimus? Certè vitiis ubiq; non minus domi, quàm foris vivitur, ubique Davi sunt, ubique Phormiones, Gnathones, Parides, Medæ, Laidés Thaidésq; juventutis corruptrices sunt & reperiuntur; Ideone verò peregrinationibus quis abstinentum esse censuerit? Quasi non laudabilior, qui ab his omnibus integer

ger

ger & illæsus evaserit, quam qui domi ociosus desidens, adversus nullos voluptatum vitiorumq; stimulos & illecebras animum munire didicerit. Quare ita peregrinemur, ita cum exteris conversemur, ut ab iisdem apicularum instar varia scientiarum mella colligamus, eorundem autem vitiosos mores tanquam virus prætervolemus. Quod si quibusdam id accidat, quòd Musicam discantibus solet, ut primum artis suavitate quasi popijmate delineantur, nimia deinde dulcedine capti, omninò mollitie diffluant, quis est, qui non discantium potius perversitati, quam studiis aut rebus ipsis illud imputandum esse norit?

Vos verò commilitones exoptatissimi qui ingenium à natura, virtutem ab educatione, eruditionem verò ab institutione & doctrina obtinetis, qui honestam aliquando emergendi, deq; Rep. benè merendi spem fovetis, vos inquam hortor, vobisq; sum author, ne speciosis huiusmodi delinimentis seducti, adeò sinistrè de peregrinationibus sentiatis, multo minus utilissimum earundem studium negligatis: Non enim luxuriosum, non levem non libidinosum, non impium, superbum aut seditiosum ullum unquam reddidit peregrinatio, nisi qui naturali quadam malitià huiusmodi vitiosorum hominum consortio fuit delectatus, nec morbos vehementiores, luem Gallicam, Anglicum sudorem, labem Hungaricam, Africanam lepram, peregrè reportarunt, nisi qui fœdis putidisq; exterorum membris se confociarunt, nec paupertatem peregrè contraxerunt, nisi qui domi res tuas tueri non didicerunt, nec impii peregrè redierunt, nisi qui domi pietatem nesciverunt, nec animam in peregrinationibus perdiderunt, nisi qui eandem servare noluerunt. Quin potiùs multis in cibo potuq; temperantiam, multis morum comitatem & gratiam, multis linguarum notitiam, multis arcanorum secretorumq; scientiam, prudentiam atq; experientiam peregrinationes præbuerunt. Quæ cum ita sint, cumq; tantorum peregrinationes commodorum nos reddant participes, nos quoque tandem evolemus, nos tanquam omni foco & lare carentes peregrinemur, nos, exteros lustremus, & ab iis morum suavitatem, linguarum scientiarumq; cognitionem, prudentiam atq; experientiam petamus, mores hominum non vultus cognoscamus, animorum affectus non corporum habitus attendamus, status civitatum, non mœnia inspiciamus, atq; sic tandem per medios Penelopes procos, per medias Syre-

C

nes

nes-Cyrceásque pecudes transeamus, quò ab omni vitiorum contagio intacti, illæsi inviolatíq; revertamur : Sic tandem peregrinationis nostræ fructum non nosmetipsi solum, cum insigni honoris & existimationis augmento, reíq; nostræ familiaris incremento experiemur, sed & amplissimos ejus rivulos in patriæ laudem, Reip. commodum, parentum honorem, concivium salutem, & deniq; amicorum omnium utilitatem rectà derivare valebimus. D I X I.

—*—

DE PERERUDITA ORATIONE,
NOBILISSIMI, DOCTISSIMI QVE

Domini

CONRADI à BÖRSTEL, IN ACADEMIA MARPURGENSI PUBLICE

ab ipso memoriter recitatâ.

Δωδεκάσιχον α

Ignavi est, residere domi, pyra pómaq; ad ignem
Torrere, & patrio nidificare foco.
Mens alacris peregrina adeat, terráq; mariq;
Climata, & invisat Solis utramq; domum.
Mens agitari aveat, mens gaudeat ire peregrè,
Discereq; , ignoti quid ve hat aura soli:
Imò hominum potius mores, sed qui vel honesti
Vel quiddam docti pectoris adjiciant,
Qui quoq; in auriculas instillent verba polita,
Et tandem intra animum se penetrare queant.
Hæc tua Borstelide mens est: huc scilicet ibas,
Cum cathedra à verbis est calefacta tuis.

Δωδεκάσιχον β

Quam multi à patriis ad Francica lilia regnis
Contendunt, Italo se illatebrantq; solo!
Hesperias adeuntq; plagas, quaq; ultima Thule
Panditur, Oceani & gurgite vela trahunt!

Quid


Quid tamen à Gallis, quid ab Hesperia usq; reportant?
 Ecquid ab Italia finibus huc revehant?
 Scilicet ut cingat peregrina lacinia vestes,
 Sive umbella caput sive calyptra tegat.
 Quando Quirinali trabeâ cinctus Gabino
 Ad tergum sese vestiat ipse Redux.
 Non hæc Borstelidæ visa aurea Suada probare est,
 Ingenuus redeat qui rudis hinc abiit.

EPIGRAMMA ALIUD.

Cæli intemperiem metuens, sive horrida brumæ
 Canities terræ cingat abunda solum:
 Seu canis implacido Icarii stella ardeat igne,
 Findat agros, undas hauriat, urat humum:
 Iamq; domi deses sedeat, ludatve fritillo,
 Vel mensus plateas ambulet ense ferox.
 Quid tandem? hunc an alet rex, portabitq; caballus?
 In coctæ unguentum lente nec esse decet.
 Pluribus hæc à te docuit calefacta cathédra,
 Illa calefecit postea ab igne suo
 Quicumq; audivêre tui sermonis agonem,
 Inq; animo secum verba resumta ferunt:
 Exemplum specimeng; Academia vidit in istis,
 Quid pia Nobilitas debeat ac faciat.

Conradus Bachmannus, Poet. Professor.

F I N I S.



Handwritten text in a Gothic script, likely a list or index, with some words appearing to be 'Cantuar' and 'Cantuar'.

ETIGRAMMA

Large block of handwritten text in a Gothic script, possibly a list or index, with some words appearing to be 'Cantuar' and 'Cantuar'.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.

ETIGRAMMA

Small handwritten text or mark at the bottom of the page.





ULB Halle
002 677 830

3



56


Nv 1999

(1/69.)

VDA







Ob. 448.

ATIONUM
LE ET NE-
tratur:

CADEMIÆ
Philosophico,

PATRUM, CI-
NVENTUM,

à BÖR-
IAN-

RUM,
a Typographi.

